videbit. Cum autem magna sit ejsdem Dil. T. apud Purpura-
tos illos patres et gratia et authoritas, non dubitamus quin pro
solito ac sincero suo in inclytam domum nostram studio quan-
tum in se erit, per suos id curatura sit, ut in talem suffragia coe-
ant, qui domui nostrae nequaquam adversetur. Quod grato a-
nimo quandocunque restulerit, benigna ut coetera ejus officia a-
gnoscemus. Dat. Pragae 7. Sept. 1590.

Oratori Romano de electione novi
Pontificis. 160)

Rudolphus etc. Quod literae tuae 27. Augusti datae nunciabant,
eo ante die intelleximus aliunde. Quare statim ut in re ardua,
quod nostri esse muneris ad Collegium Cardinalium scribendum,
et ad quosdam ex iis separatim duximus: Quarum literas cum
earum exemplis, ut mentem nostram plenius intelligas, his addi-
tas reperies. Eas vero cum reddes, diligenter quemque no-
stro nomine hortaberis, ut in electione successoris illud unice pro-
positum habeant, et efficere totis viribus juvent, quod populus
Christianus ab iis expectat, quodque nos vehementer optamus,
in hac re tota videbis pro prudentia ipse tua, quod ubique tibi neque
ex parte nostra neglectum videatur praestandum sit. Nos id sedu-
lo prudentiaeque tuae diligenter committimus: Cum Oratore Ser.mi
Regis Catholici, Avunculi, Soceri ac fratris nostri charissi-
mi, quemadmodum ille tecum, ita vicissim ages, fide omnibus
tecum fidenterque communicet, idem ut facias. Quicquid autem
successerit et gestum fuerit non dubitamus, quin nobis quam
primum nunciaturus sit. Quod a te, uti benignum cupimus, dictu
ita voluntati nostrae consentaneum erit. Dat. Prag. 7. Sept. 1590.

Collegio Cardinalium de electione
novi Pontificis instituenda. 161)

Rudolphus etc.

R.me Audita morte Xisti quinti Pontificis M. cui aeter-
nam a Christo Redemptore nostro, cujus vicarium ille in terris
gessit, felicitatem precamur, ad intima illico animi vota con-
versi sollicite pro eo ac debuimus, optare coepimus, ut Deus Opti-
mus Maximus sane Christiani orbis utilitatem tali successo-
re, qualem hac turbulenta Reipubl. tempora desiderant, solari beni-
gne clementerque dignaretur. Ad quam quidem tanti momenti
rem faciliusque impetrandam, cum in Comitiis Collegii istius amplissi-
mi suffragiis totum sit positum divinae mentis auxilio im-
primis enixe rogamus, quam certe vestra cogitationes ita
provehat, ut quod omnibus ubique utile ac salutare sit, un-
animi studio (: quod paternitatibus vestris Reverendissimis glori-
osum futurum :) expedivisse ac procurasse videri possi-
tis. Id vero ut paternitates V. Reverendissimae fronte